



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si in Christo fuerit fides vel spes. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



bus vel ipsam spem, quam natura præ charitatis, vel rem speratam, id est, beatitudinem æternam. Sine meritis enim aliquid sperare, non spes, sed præsumptio dici potest.

*De quibus sit spes.*

Et sicut fides, ita & spes est de inuisibilib. Vnde Aug. Fidem appellamus earum rerum, quæ non videntur. De spe quoq; dicitur, Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Quod attinet ad non videre vel quæ creduntur, vel quæ sperantur, fidei speique commune est. Distinguitur tamen fides à spe, sicut vocabulo, ita etiam rationali differentia. Est enim fides malarum rerum & bonarum: quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona non mala. Est n. fides & præteritarum rerum, & præsentium, & futurarum. Credimus enim mortem Christi, quæ iam præterijt: credimus cessionem, quæ nunc est. Credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Item fides & futurarum rerum est, & alienarum. Nam & se quisque credit esse cœpisse, nec fuisse utiq; sempiternum: & alia atque alia non modo de alijs hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus: Spes a. non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibentur.

*Redit ad præmissam questionem, scilicet, an fides & spes in Christo fuerint.*

Post hoc superest inuestigare, vtrum fides & spes in Christo fuerint: vnde tractat<sup>9</sup> iste sumpsit exordium. Quibusdam nõ indocte videtur fidem virtutem & spem in eo non fuisse, sicut in sanctis iam beatificatis, vel in angelis non sunt, & tamen sancti credunt & sperant resurrectionem futuram, & angeli eandem credunt: nec tamen in eis fides vel spes virtus est: quia & Deo per speciem contemplando, fruuntur: & in Dei verbo resurrectionem

R r 4

futu-

*B*  
In Enchirid.  
cap 8. ad finem.  
Rom. 8. e  
Ibidem paulo superius.  
Ibidem ad principium.  
Cap. 8.

*C*  
Supra dist.

43.



1. Cor. 13. d

1. Cor. 13. d

Ibidem d

Ioan. 17. a

Psal 30.

De charitate quantum ad eius essentiam & in 110. a.

futuram siue iudicium, non per speculum in ænigmate, sed præclarissime inspiciunt. Si enim, quia credunt resurrectionem futuram, ideo verum est eos fidem habere: ergo ea consummata post iudicium similiter & fidem habere dicentur, qui credent eam præteritam. Sed sicut tunc credent, nec tamen fidem, quæ fidelis facit, habebunt: quia non credent absque scientia, quæ non erit ænigmatica, sed per speciem: ita & modo credunt, & sperant resurrectionem: nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt. Venit enim eis, quod perfectum est, & euacuatum est, quod ex parte est. Venit enim cognitio, & euacuata est fides. Venit species & desijt spes. Ita & Christus in quo fuerunt bona patri, credidit quidem & speravit resurrectionem tertia die futuram, pro qua & patrem oravit: nec tamen fidem virtutem & spem habuit, quia non ænigmaticam & specularem, sed clarissimam de ea cognitionem habuit: quia non perfectius eam cognouit præteritam quam intellexit futuram. Speravit tamen Christus, sicut in Psal. ait, In te Domine speravi: nec tamen fidem vel spem virtutem habuit, quia per speciem videbat ea, quæ credebat. De antiquis vero patribus, qui apud inferos viq; ad passionem tenebantur, non incongrue dici potest, quod fidem & spem virtutem habuerunt: quia credebant & sperabant se visuros Deum per speciem, qualiter eum tunc non videbant: quia non patuit eis cognitio Dei per speciem ante passionem Christi: qua consummata, à fide tranfierunt ad speciem.

DE CHARITATE QVA DILIGITVR DEVS ET  
proximus, quæ in Christo & in nobis est.

DISTINCT. XXVII. A

Cum autem Christus fidem & spem non habuerit, dilectionem tamē habuit in quantum homo tantam, quæ maior esse non valet: quia ex chari-